


DISPUTATIO THEOLOGICA  
FRIDERICIANA  
DE  
**SEPULTURA**  
**MESSIÆ**  
ET  
**ADMIRANDA DEI CIRCAEAM**  
**PROVIDENTIA**  
EX *JES. LIII. v. 9.*  
*demonstrata*  
*QUAM*  
**DIVINA FAVENTEGRATIA**  
**P R A E S I D E**  
**HENRICO OPITIO,**  
**SS. Th. Doct. ejusdemq; Prof. Ord.**  
Ad diem 4. April. MDCCIII.  
*publicè defendet*  
**JOSIAS HENRICUS OPITIUS, H. F.**  
**SS. Theolog. Cultor.**

---

KILONI,  
Typis Bartholdi Reutheri Acad. Typogr.

*a. LXXXVI. 32*

Coll. diss. A  
886, 32



I. N. J. A.

§. 1.

**A**dmonet nos Tempus, quo acerbissimam Passionem & Mortem Salvatoris nostri in Ecclesia nunc lugemus, ut *Thema*, quod vocant *de Tempore loco Disputationis ordinariæ in Cathedrâ Academicâ tractemus*, quo suavis ubique Ecclesiæ & Academiæ sit concentus. Et quia superiori anno peculiari dissertatione in Subiectum & Scopum totius Capitis LIII. Jesaiæ inquisivimus, ac prolixè contra recentiores Judæos & Judaizantes quosdam Christianos evicimus, *Unicum illius Capitis Scopum esse nostrum Messiam eumque pro genere humano patientem & morientem*; placet nunc speciatim ex dicti Capitis Jesaiani commate IX. *Sepulturam Messie, & admirandam providamque Dei curam circa eandem*, cum is ab omnibus hominibus al. derelictus esset, devotâ mente considerare. Quod ut feliciter cedat, Deus ipse aperiat oculos mentis nostræ, ut Mirabilia ejus in verbo ipsius videamus, Amen.

§. 2. Quandoquidem autem hic locus Cl. Noldio Concord. Partic. p. 894. maximè arduus & Crux interpretum audit, & vexatissimus est, ut certent hic fere ingenia, juxta Seb. Schmid. ad h. l. atque Concionatores hoc tempore communiter mirè se torquent in eo explicando: non omnino frustra laborabimus, si in hoc

A 2

tam

tam controverso loco aliquam curam ponamus, ac diversas diverorum interpretum sententias probe expendamus, ac tandem nostram sententiam firmis rationibus stabilitam subjiciamus, ut appareat, quid hic constanter recipi & teneri, quidve rejici ac reprobari debeat, ne varie semper fluctuando modo hujus, modo illius presumtio scripturam reddat *idias et aliae*, quod sancte prohibet Apostolus 2 Pet. I. 20.

§. 3. Antequam vero rem ipsam aggrediamur, jucundum simul & utile erit, ipsum Textum authenticum cum Versionibus insignioribus uno quasi obtutu contemplari: ubi

(a) *Textus Originalis cum versione interlineari Ariae Montani ita fluit:*  
 ||| ej⁹ mortib⁹ in | divite — cū & ||| ej⁹ sepulchrū | impiis — cū dedit Et  
 נִיחַן אֶת־רְשָׁעֵי קְבָרוֹ וְאֶת־עֲשָׂר בְּמִתְּנַזְּן  
 |||| e⁹jusore in | dol⁹ מֹתָה & || fecerit injuriā — nō super  
 עַל־לَا חַמֵּס עָשָׂה יְלָא מְרֻמָּה בְּפָנוֹ ;  
 וַיִּסְרֵר יְהִי רְשִׁיעֵיה לְגַהֲנָם וַיְהִי עַתְּרוּ נְכָסִיא  
 (β) *Targ. Jo.* דָּאַנְסֵי בְּמֹתָה רַאֲבָנָא בְּרִיל דְּלָא יְהִי טָן. *nath cū Vers.*  
 עַבְרִי חַטָּאת וְלֹא יְפָלֵל נְכָלֵין בְּפָמְחֹזָן :  
*Op. Angl.* *Et tradet impios in Gehennam, & divites substantiis, qui vim attulerunt morte exitiosam, ut non permaneant, facientes peccatum, neque loquantur dolos in ore suo.*

(γ) *Versio Syriaca*, quæ in omnibus cum Textu Originali convenit, eodemque modo cum illo verti potest, ita fluit:  
 יְהִבְרֵא קְבָרָה וְעַתְּרוֹא בְּמוֹתָה עַל־רְאֵא שְׁבָר עַוְלָא וְלִיתְ  
*Sed versio Latina in Opere Angl. ita habet:*  
*Contribuit impius ad sepulchrum ejus, & dives ad mortem ipsius. Lices non commiserit iniquitatem, nec sit dolus in ore ejus.*

(δ) Ver-

(d) Versio LXX. interpp. uti in Opere Anglicano Polyglotto habetur: Καὶ δῶσω τὸς πονηρεῖς ἀντὲ τῆς ταφῆς ἀντεῖ, καὶ τὸς πλευρᾶς ἀντὶ τῆθανατοῦ ἀντεῖ, εἴ τι ἀνομίαν ἔκεισθαι σεν, ἀδεὶ δόλου (Alex. εὐρεθη εόντος) ἐν τῷ σώματι ἀντεῖ.

(e) Versio Arabica in Latinum idioma translata, uti in Op. Angl. comparet, talis est: *At rependam iniquis pro sepultura ejus: & divitibus pro morte ipsius: quia non fecit iniquitatem, nec inventus est in ore ejus dolus.*

(f) Vulgata: *Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.*

(g) B. Seb. Schmidius: [Excisus est e terra viventium &c.] ut daret impios (etiam) in sepulchro suo, & divites in mortibus suis; per hoc, quod non violentiam fecit, nec dolus in ore ejus (fuit.)

(h) B. Luth. *Und Er ist begraben wie die Gottlosen/ und gestorben wie ein Reicher/ wiewohl Er niemand Unrecht gethan hat/ noch Betrug in seinen Munde gewest ist.*

§. 4. Hisce sic præmissis removemus nunc *primo* sententias eorum, qui Locum nostrum plane non de *Messia*, multo minus de ejus sepultura explicant, in quorum classe sunt nonnulli *Judæi neoterici & Judai-zantes* quidam Christiani. *Judæi recentiores*, uti totum Caput LIII. Jesaiæ, ita & nostrum locum communiter de *Populo Israelitico* hodie in exilio miserè vivente explicant, ut vidimus in disput. de *Messia unico scopo* Capitis LIII. Jes. Sic R. Sal. Jarchih. l. in Opere Basil. Buxt. fol. 498. col. 2. hæc habet וַיְתָן מִסְר אֶת עַצְמוֹ לְהַקְבֵּר וּכְזַה Et dedit: i.e. *Tradidit* (sc. *Populus Judæus*) *seipsum sepulchro sec. omnia, quæ decernunt super iis impii gentium, qui damnante eos ad occisionem & sepulturam asinorum h.e. in visceribus canum.* Cum improbis i.e. juxta sententiam improborum se componit, ut sepeliatur, ne abneget Deum vivum. וְאֶת רְשָׁעִים

A 3

Et

Et cum divite in mortibus suis i. e. ad sententiam dominatoris tradit seipsum in omnia genera mortis, quæ decernit contra ipsum, eò quod non vult suscipere abnegationem, ad faciendum malum & violenter agere inter gentes, inter quas peregrinus est: & non dolus est in ore ejus, ut accipiat cultum idololatricum. Sic R. Dav. Kimchi in Op. Basil. f. 498. col. 1. וַיֹּאמֶר Et dedit: sensus est. Tradidit semetipsum supplicio mortis. Etenim ipsi dimitterent ipsum, si abnegarent legem suam & renunciaserent legi. Sed tradit seipsum supplicio & non abnegat legem, juxta illud Ps. 44, 23. Propter te occidimur quotidie. Et cum divite in mortibus suis. h. e. quia etiam ipsi Divitem occidunt propter divitias ejus: & hic occiditur non propter improbitatem quæ in eo est, sed propter divitias, ut illarum fiant participes. Similia fere tum Abarbenel tum Lipmann ad h. l. habent. Peculiarem tamen præter communem sententiam uti in toto Capite, ita & hic fovet Abarbenel Comm. fol. 81. col. 2. quando locum nostrum de Rege Josia in bello, quod ipsi cum Necho rege Ægypti erat, occumbente, explicari posse putat h. m. וַיֹּאמֶר Et dedit vel posuit per improbos Ægyptios sepulchrum ejus (Josiæ) qui causa mortis & sepulturæ ejus fuerunt. Nisi dicere malimus, Deum cum improbis scil. majoribus ipsius Ammon & Menasse regibus impiis dedisse sepulchrum, quia cum ipsis sepultus est Hierosolymis, idque per manus divitii Necho-nis, qui divitias Ægypti possidebat, tanquam instrumenti, quô Deus usus est in morte ipsius, cum enim mortuus esset, ad sepulturam deportatus fuit. Nam violentiam non fecit, & non fuit dolus in ore ejus, utpote qui piissimus

*mus princeps fuerat.* Sed cum hæc in disput. nostra de Messia unico Scopo Capitis LIII. Jes. jam satis refutata sint, nolumus hic actum agere.

§. 5. R. Saadias Haggag on teste Aben Esrâ & Abarbenele ad Cap. 52, 13. uti totum Caput LIII. Jes. ita & hoc comma 9. de *Jeremias* explicat, cuius vestigia quidam Semi-judæus ap. Jacob. Martini tractat. de *Tribus Elohim* cap. 104. legens itidem hoc comma de *Jeremias* interpretatur & quidem h. m. quasi nim. *Judei*, qui pertraxerunt eum in divitem Ægypti regionem, efficerint, ut in peregrina terra, inter idololatras sepelirentur: quamvis vera fuerint, quæ ipse dixerit: sed impostorem hic agit cum suo judæo Anonymus. Etenim (α) Subjectum totius hujus Capitis adeoque & hujus versiculi non est *Jeremias*, sed *Messias*, uti in cit. disp. demonstravimus (β) Inaudita & maxima hæc scripturæ perversio est, Nomen *Divitis* explicare per regionem Ægyptiacam. Præterea (γ) nullibi dicit Propheta, *vera tantum fuisse*, quæ dixerit is, de quo hîc sermo est, sed absolute pronunciat, *quod iniquitatem nullam fecerit, quodque nullus dolus in ore ejus fuerit*: quod sane non Φιλάθρωπος, adeoque nec Jeremiæ, sed solius θεαθρώπος Christi est, utpote de quo expresse Petrus 1. Epist. c. 2. 12. dictum nostrum explicat.

§. 6. Hugo Grotius uti al. passim in suis Annotat. in Script. S. ita & hic Judaizans itidem locum nostrum de *Jeremias* agere putat, & speciatim de Pœna impiorum sacerdotum & Prophetarum mortem Jeremiæ machinantium, quando hoc dictum nostrum ita παραφέρεται: *Illi ipsi etiam (sacerdotes & Prophetæ impro-*

improbi) interficere ipsum (Ieremiam) voluerunt, uti legimus Ier. 26. At Deus ipsius vice Viros potentes quidem, sed improbos, sacerdotes nempe, mortem Jeremie machinantes, morti dedit per Chaldaeos 2. Reg. 25, 18. 19. 20, 21. Nihil illis divitiae sue profuerunt, quibus redimi se posse speraverunt: addendo quod sensum hunc bene expresserint Græci. Quin reliqua verba: *Eò quod ini-quitatem non fecerit, nec dolus in ore ejus fuerit*: perinde ac ille Anonymus ita exprimit: *quanquam nihil aliud dixerat, quam quod Deus mandaverat.* At enim verò, etsi quacunque ratione per Impios intelligi possint sacerdotes illi & Pseudo prophetæ: etsi etiam *Divitis* nomine illi intelligerentur (quod tamen nequaquam probari potest); falsissimum tamen est, hic de Chaldais atque excidio per ipsos facto, agi: ceu nec verbulo quidem Chaldaornm mentio fit in toto hoc LIII. Capite: quin verba illa, quæ de solo Christo agunt, teste Petro 1. Ep. c. 2, 22. cum Judæis contra Christianos & ipsum Spiritus S. testimonium ad Ieremiam detorqueret, velle pectoris Christiani non est. Nec pius omnino est, verba Scripturæ ita restringere & coarctare, ut quæ omnimodam innocentiam & ἀναμάρτυσιαν Christi exprimunt, tantum de munere propheticō rectè administrato accipientur.

§. 7. *Deinde* removemus & illos, qui quidem Caput hoc de *Messia* explicant, Dictum tamen nostrum aliorum, quām ad *Sepulturam ejus*, nim. ad pœnas hostibus propter mortem Messiae illatam infligendas detorquent. Atque huc referri possunt Jonathan Ben Uzielis, Paraphrastes Chaldaeus, LXX. Interpp. Græci ex

ex parte, & eos secutus Arabs & Vulgatus, ut supra verba eorum jam vidimus: quæ Hieronymus ita accipit, ac si indigitetur mors impiorum ipsis à Christo ceu justo judece infligenda h. m. *Et dabit* (vel tradet hostibus) *impios* (Judæos puta, qui Salvatorem nostrum Romanis tradiderant), idque propter *sepulchrum ejus* (quod ipsis mediantibus petere coactus est) & *divites* (sc. Pontifices & Sacerdotes avaritiæ deditos & malè partis ditatos) propter *mortem ejus* (tam nefariè procuratam)

§. 8. Hos quoque fideliter sequitur, quin & illustrare ac stabilire eorum sententiam conatur Cl. Hakspanius Notis Philologico-Theologicis ad h. l. quando ibid. p. 694. scribit: *Attendamus necesse est ad antecedentia & consequentia, atque clarissimè apparebit, non hic descriptam esse Christi vel mortem vel sepulturam, sed hostium ejus pœnas, ceu rectè observarunt Chaldaeus & Græcus.* Dum enim confertur versus 3. cum 9. videmus opponi inter se (1) Personas. (2) Personarum afflictiones. Personæ erant *Messias patiens & impii mala inferentes.* *Afflictio personarum* (1) est *Messiae* (2) *Impiorum.* *Messias* dicitur fuisse בָּעֵץ in angustia ita coarctatus, ut emergere non posse videatur, ac si esset constitutus in sepulchro sine ullis viribus & facultate. Huic opponitur caterva impiorum deturbandorum in sepulchrum, quod innocentia paraverant. Deinde *Messias* fuisse dicitur בְּנֵי in judicio. Sic quoque *divites* illi ex Judæis, qui assessores erant Synedrū, pro morte ejus subire debebant judicium mortis, atque similes pœnas luerentur: Poscit hanc expositionem necessario ipse v. 9. Redditur

tur enim ratio. Jam quod cum bac ratione convenit, id hic & quidem solum intelligatur necesse est. Convenit autem cum ratione illa & textu, ut impii, qui innocentis foveam foderant & mortem prepararant, supplicio ejusmodi afficiantur. Sed miretur quis hic merito, qui tam confidenter scribere potuerit Cl. Hakspanius, id clarissime apparere, quod vix suspicione hinc elici potest, atque id solum intelligendum necesse esse, quod vix ullus probabile esse judicet, nisi omnibus notum, quanta sit vis praecognitae opinionis. Nec quicquam hic valet Authoritas vel Chaldaei vel LXX. interpp. cum longissime a verbis Textus Hebrei recedant, LXX. etiam & Latinus bis particulas atri & pro de suo inferant, sine ulla urgente necessitate: Insuper merè precaria est hypothesis illa de oppositione Messiae ejusque hostium, nec non eorum afflictionum, ceu Textum consideranti manifestum fiet.

§. 9. His ita sepositis, considerabimus nunc eorum sententiam, qui quidem agnoscunt, Verba Textus nostri pertinere ad Mortem & sepulturam Christi, sed ita, ut eadem alii ad *Modum*, alii ad *Locum*, alii ad *Fructum Mortis* & sepulturæ Christi referant.

§. 10. Qui ea ad *Modum* referunt, mire iterum inter se dissident, suntque B. noster Lutherus & nonnulli ex nostratis eum secuti, nec non quidam ex Reformatis. B. *Lutherus* (a quo solo locum hunc recte intellectum, translatum & expositum esse dicit Flacius) in versione Germ. ita habet: Und Er ist begraben wie die Gottlosen / und gestorben/ wie ein Reicher: wiewohl Er niemand Unrecht gethan hat / noch Betrug in seinem Munde gewest ist. Et in Glossa marginali. Reicher) der

der sein Thun auf Reichthum fehet: das ist ein Gottloser.  
 Et in Explicatione Cap. 53. Jesaiæ Tom. VI. Altenb.  
 f. 369. a. hæc habet: Wie ein Reicher. Die Ebräische Sprache hat also ihre Art zureden/ wiewohl dunkel genug/ daß ein Reicher so viel heist / als ein Gottloser Mensch: Solche Weise und Brauch ist vielleicht daher gebrathen weil die reichen Wäuste gemeinlich Gottlose Leute sind / also nennet Christus auch den Reichthum im Evangelio / den Unrechten Mamon: it. ein Reicher wird schwierlich ins Himmelreich kommen. Darumb gibt der Heil. Prophet zu verstehen / daß Christus also hingerichtet und gestorben sey/ wie ein Ausföhrlischer / Gottloser und Verführer; Weil aber Unser Herr IESUS Christus eben also gestorben ist (wie Esaias hier seinen Tod verkündiget) so ist es eine gnugsame Beweisung / daß Er sey eben der wahrhaftige Messias. Et in Comm Germ. super Genes. cap. 25. T. IX. Alt. fol. 748. b. scribit: *Jesaiā ann 53. Cap.* werden die Reichen an statt der Gottlosen gesetzet/ darumb daß zwischen einen Reichen und Gottlosen kein Unterscheid ist / wo es ohne dem Heil. Geist ist / und sie nicht Gottselig und Glaubig sind.

§. 11. Alii vero hic observantes, Vaticinio sic translato Eventum non respondere, putant per ὑπέρων τρόπον in scriptura alias usitatum id explicandum esse h. in. Und Er ist begraben/ wie ein Reicher/ und gestorben/ wie die Gottlosen. Verum talis ὑπέρωσις, etsi in historicis, ubi una interdum historia alteri ratione temporis præponitur, admitti potest: extra talem tamen casum toleranda non est, nisi perversis Spiritibus fenestram a-

perire velimus, omnia in Scriptura, ubi ipsis non favet, pervertendi.

§. 12. B. Joh. Tarnovius Exercit. p. m. 600. ut cum B. Luther sentire videatur, locum nostrum ita explicat: *Christus exposuit cum improbis sepulchrum suum h. e. Voluntariè sese obtulit ad flagellandum, crucifigendum, moriendum & sepeliendum, non secus, ac si ipse fuisset improbus, & inter eos ab hominibus hæc mala eum perpeti videntibus, reputatus est.* Quam expositionem ex Antecedentibus & Consequentibus probare conatur hisce verbis; *Dixerat Propheta, quod ob desfectionem seu populi peccatum sit Messiae plaga.* Ne quis igitur putaret, *Christum vel invitum hoc fecisse & contra suam voluntatem fuisse sic abreptum, aut merito ob aliquid facinus ita fuisse à Deo & hominibus tractatum* (quomodo fructus omnis exspiraret, ad quem tamen declarandum in seqq. accedit Esaias), utrique opinioni falsæ sic occurrit eamque removet: quomodo nil contorti vel in textu Hebræo vel in ipsa cohærentia esse dicit. Et (2) monstrare conatur Vir Beatus, quomodo hæc sua expositio benè conveniat cum B. Lutheri versione, dum pergit: *Nam si ita cum improbis exposuit sepulchrum suum, externa specie similimum, ist Er ja gestorben wie ein Gottlieber / & si se exposuit cum divite & iniquo in mortes suas (quam ille meretur in se, hic Christus tantum in nostra personâ) ist Er ja begraben / wie ein Reicher / der sein Thuen auf Reichthum b schet.*

§. 13. Sed præterquam, quod particula *in* post verbum Activum, uti h. l. post verbum *in* possum nunquam in tota scriptura pro Præpositione *Cum* usurpatetur

patur (uti alias interdum post verbum Passivum & Neutrum fit) sed semper nota Accusativi est, incaute etiam incidit Vir Beatus in illa haud tolerandam ὑσέρωσιν & conjungit mortem cum impiis & sepulturam cum divite: cum tamen Textus Jesaiæ planè contrarium habeat.

§. 14. Ex *Reformatis* (α) Zwinglius allegante D. Calovio in Bibliis illustratis ad verba: *Sepulchrum ejus dabitur cum impiis*, scribit: *Sepulchrum hic ponitur pro nece i.e. cuius supplicium vel autoritas & dignitas ejus cum prædonum fortuna finem inveniret*. At hanc contortam & intricatam atque à verbis textus alienam explicationem esse, nemo non videt. Etenim (1) *sepulchrum* in textu distinguitur à morte, nequaquam ergò mortem notare potest. (2) Vox, בְּכַתִּין non *exaltationem* ejus, neque *crucifixionem*, multò minus *dignitatem* vel *autoritatem* significat. Et (3) רֵשֶׁת nullibi in scriptura pro *prædonibus* adhibetur: ut ita omnia precaria sint, quæ hic à Zwinglio sunt allata: unde etiam nullum quod sciam, in hac explicatione asseclam invenit Zwinglius.

§. 15 (β) *Calvinus* Comm. in h. l. accipit hæc de Deo Patre tradente h. m. quod *Pater Christum traherit in manus impiorum, & divitis vel divitum violatorum*, ut per *impios & divites* idem significetur, atq; ita Pharisei & Sacerdotes, Pilatus & Romani milites notentur. *Sepulchrum* autem sumit Metaphorice, quod *impii & violenti* eum quasi cbruerint, & inter se & sanguinarias manus sepultus censeri possit. Sed quamquam *Explicatio* hæc præcedente tolerabilior est,

dum *Dans* rectè Deus Pater statuitur: non tamen hic Deus dicitur tradidisse Christum in manus impiorum & divitiae, aut impiis & divitibus, quum in Textu Hebræo οὐ non nota Dativi, sed Accusativi sit. Præterea nulla nōs cogit necessitas, ut a propria vocis *sepulchri* significatione ad Metaphoricam transeamus, ut facit hic Calvinus.

§. 16. (γ) Junius locum nostrum ταραπέδην h. m. (Populus) exposuit improbis i.e. gentibus, quæ olim improborum nomine solebant designari, ut Act. 2, 23 quemadmodum etiam gentiles dicuntur peccatores Gal. 3, 15. Sepulchrum ipsius i.e. Crucifigendum, trucidandum & sepeliendum ipsum Synecdochice: & diviti in mortem suā, i.e. Pontio Pilato, præsidi Iudeæ, idque in mortem suam i.e. eā lege, ut sanguis illius super populum Iudeorum & super filios ejus recideret & reposceretur à Deo, si quid ea in re peccatum esset Matth. 27, 25. quamobrem etiam Propheta mortes dixit plurali numero. Eo quod non fecit violentiam, & non dolus in ore ejus i.e. quia non poterant ferre justitiam, integritatem & simplicitatem factorum & dictorum ejus, ut Christus ipse Iudeis objicit Joh. X, 32. Sed meritò hæc Paraphrasis à Rivoletto rejicitur. Etenim dare sepulchrum idem esse quod tradere crucifigendum, trucidandum & sepeliendum, unde probabitur? Sic Divitis nomen ad Pilatum, quâ ratione adstringitur; & denique tradere in mortem suam i.e. in suum ipsius exitium, quomodo ad Iudeos clamantes sanguis ipsius sit super nos & filios nostros referri posset? Certè glossa hæc adeo aliena est, ut nullum, quantum scio, invenerit adstipulatorem.

§. 17.

§. 17. Qui ad *Locum* hæc referunt, sunt *Genevenses*, *Tigurini*, *Rivetus b. l.* L' Empereur pec. tract. de hoc Capite Jesaiæ, *Hulsius Theol. Judaica* p. 381. 382. & Alex. Morus Exercitat. Genev. itemque Ar. Montanus & Vatablus qui ita ferè transferunt: Et dedit cum Impiis sepulchrum ejus, & cum divite in mortibus ejus, ubi Vatabl. in Notis: Morietur in monte Calvariae, ubi de impiis tantum sumetur supplicium: at mortuus deferetur à divite Josepho in sepulchrum, in quod recondetur Matth. 27. juxta L' Empereur verò: Et dedit sc. populus, vel Impersonaliter: Et datum est sepulchrum sc. ex ordinatione, destinatione & cogitatione (uti Alex. Morus) hominum Cum impiis scil. in monte Calvariae, ubi sepeliendus erat, sed fuit cum divite in morte sua i. e. postquam mortuus est, non fuit cum impiis sepultus, verum Deo longè aliter disponente positus in sepulchro Viriboni & justi, divitis & senatoris non vulgaris, Josephi nim. Arimatheensis Matth. 27. Sed toti huic explicationi obstat Constructio verbi נטן cum particula נא, quæ post verbum Activum (quale est verbum נטן) nunquam pro præpositione נא Cum accipitur, sed semper nota Accusativi est, ceu antea diximus.

§. 18. Speciatim vero *Rivetus* Comm. in h. l. affert similem aliorum explicationem, quam etiam ceu adhuc aptiorem laudat, ut nempe בְמִתְוָא non habeatur pro servili, sed radicali, & non sit Nomen מִתְוָא mortem notans, sed nomen בְמִתְוָא in plur. quod juxta ipsum ædificium quodcumque ex terra exaltatum, aut in loco excellentiore positum significet. Unde ap. Græ-

cos

cos βωμὸς altare, ut h. l. monumentum seu tumulus ejus notetur, ut sensus sit: *Tumulus ejus cum divite, sepulchrum cum impiis*, ut hostes Messiae constituerant. *Hæc autem Observatio*, inquit Rivetus, *eo magis mibi probatur, quod postquam à Forstero Doctissimo Germano fuit animadversa, eandem Mercerus cum Autoris laude retulit, nempe honestam & splendidam Christi sepulturam hic notari, qua à Josepho Arimatheo homine divite & nobili donatus fuerit, quamvis inter impios prius & damnatos, sepulchrum ejus destinatum foret*: simulque putat Rivetus, conjecturas, quibus utitur Forsterus, leves non esse. Pergit proinde Rivetus: *Eandem sententiam secutus est tanquam certam & exploratam Doctissimus Lexici Pentaglotti autor Valentinus Schindlerus*. (quem verò non secutus est Doctissimus Castellus Lexico suo Heptaglotto, qui ipsum alias plerumque sequitur) במתה *Bama*, inquit significat ædificium sepulchro aliquius impositum, monumentum, epitaphium &c. Jes. 53, 9. *Bemotav excelsa sua h. e. monumenta sua*; pro *Bamotav*, mutato *Kamez in Scheva* præter morem. Ideo in margine *Masorethæ* annotant, non extare simile, quod scil. *Schva habeat, & quiescens deficere*. Idem igitur sunt קבר *Kever* sepulchrum & במתה *Bamah* monumentum. Hæc ille: Quibus subjungit Rivetus: *Commodè igitur hic locus intelligitur de monumento divitis Josephi*. Hic enim dicitur à Matth. c. 27, 57. ἀνδρῶς πλάστος homo dives, quasi digitum voluisse intenderet *Evangelista ad hunc Esaiæ locum*. Quam tandem

dem interpretationem refert ad Försterum , qui in Rad. הַכְבִּד sic reddiderit textum , quod nempe sepulchrum ejus fuerit cum impiis , nim. quoad destinacionem & intentionem Iudeorum , at quoad directionem divinam in morte fuerit cum Josepho Senatore divite. Et posuit ap. malefactores sepulchrum ejus, & ap. divitem excelsa ejus. Qui sensus etiam Oecolampadio probatur, nec non Francisco Gomaro in Annot. ad Bibl. Belg. quem & Alexander Morus aliis interpretationibus præfert : gloriam tamen inventæ hujus interpretationis non Förstero tribuit , ut antea Rivetus , sed Aben Esræ, quod is vocem Et dedit interpretatus sit de cogitatione, & בְּמָתְהוּ de excelsis: quod ita in meliorem sensum convertendum censet: Et dedit (Iudeus) i. e. cogitabat dare ipsi sepulchrum cum impiis: at cum divite monumentum ejus. Optimus autem, inquit, binc existit sensus, ac plane Evangelicus: Iudeus quidem populus , quos in morte ipsi socios dederat ( sc. latrones ) etiam destinabat ipsi post mortem socios quoad infamiam sepulture: at cum divite fuit monumentum ejus, Josepho nim. Arimathæo, qui Matth. 27, 57. ἀνθρωπος τλαγσιος dicitur : Adducit Aben Esra Rabbinos etiam alios, qui vocem כְּמַה יְהִי de Excelsis acceperint , uti Deut. 27, 29. adhibetur.

§. 19. At enim verò Interpretationi huic plurima obstant: & (1) quidem quoad Subjectum , nim. eum qui dedit , quem hic Rivetus facit Populum Iudaicum , cuius tamen nulla in præcedd. facta fuit

C

men-

mentio, ita ut rectius intelligatur *Deus pater*, utpote qui in proximè præced. versu octavo loquitur ut infra §. 24. videbirnus. (2) *Morus* refert verbum יתא ad *prius* tantum, & in posteriori fngit Ellipsis verbi substantivi: cum tamen יתא in textu referatur ad utrumque. (3) Ab omnibus hisce Interpretibus precariori tribuitur Verbo יתא significatio *cogitandi* vel *dandi per cogitationem & destinandi*, cum verbum illud notet *aestu dare*. (4) Particula נא sumiter iterum pro præpositione *Cum*, quod post Verbum Aetivum in Scriptura al. nunquam fit, cum potius sic requiretur particula נא. (5) In voce במתה statuitur plane irregularis & singularis punctorum permutatio pro במתה. Etenim במתה XV. occurit & semper per Kamez scribitur, quomodo cunque sive per præfixa sive per Affixa creverit, ceu patet ex Concordantiis, & ut Cl. Hakspanius ad h. l. recte monet, nunquam sepulchrum notat. Nec quicquam præjudicat (a) *Autoritas* Aben Efræ, Försteri, Merceri, Schindleri, Gomari supra adductorum, qui hoc per *Excelsa* explicant, & pro במתה esse dicunt במתה, ut pro סרוי Esth. 2, 21. סרוי Gen. 40, 7. Præterquam enim quod hæc plane aliena sint Exempla, Aben Efre Judæo opponimus Judæos *Jarchium*, *Kimchium*, *Lipmannum* aliasque, qui במתה de morte explicant, postulante id omnino Grammaticâ: illis vero Christianis paucis totam nubem interpretum Christianorum. Nec (2) Masora, ad quam adeò confidenter provocant, quicquam iis favet. Etenim במתה ter pro Excel-

*Excelsis in Scriptura invenio, nim. 2. Reg. 18., 22.  
2 Par. 32, 12. Jes. 36, 7. ubi vero Masora nihil no-  
tatur: At Jes. 57, 9. adeoque h. l. ad vocem בְּכַתְּנָה addit Mas. parva וְהַסֵּל i. e. Vox haec non extat amplius &  
quidem defectivè, nim. quoad literam וְ, quod verissi-  
mum: Ex quô vero patet, Masoram nequaquam  
tribus prioribus accensere ultimum illud בְּכַתְּנָה, ita  
ut quatuor sint בְּמִתְּנָה ejusdem sensus; alias more suo  
scripsisset וְרַגְבָּה וְחַרְבָּה i. e. Vox בְּמִתְּנָה quater occur-  
rit, ter cum וְsemel cum (׃) Schva, ceu Masoram  
intelligentibus hoc manifestum erit.*

§. 20. Tandem qui Textum nostrum ad *Fra-  
ctum passionis & sepulturæ Christi referunt, sunt  
plures nostrati, iisque magnæ autoritatis Theolo-  
gi, inter quos primus, quantum quidem nobis con-  
stat est Bernh. Zieglerus in Acad. Lips. quondam Profes-  
sor & fidelis Lutheri amicus, quemque B. Luthe-  
rus bonum *Hebraistam* vocare solebat, de quô Ma-  
thesius in Vita B. Lutheri Conc. 13. p. 152. scribit:  
D. Ziegler hat auch etliche Texte aus den Hebräischen  
sehr schön erklärt/ sonderlich Es. 53. Mesias ist arm ge-  
storben/ daß Er uns reich mache, und hat unser Gottlosß  
Wesen in sein Grab verscharrret und verschlossen: quem  
videtur secutus B. Brentius, felicissimus al. Scriptu-  
ræ interpres, Comm. in h. l. p. m. 814. 815. quando  
eundem textum ita παραφέγει: *Et dedit vel assumit*  
*(Salvator) impios in sepulturam suam: nec enim solus*  
*ingressus est in mortem & sepulchrum suum, sed as-  
sumit iecum impios, & divites h. e. iniquos, Divites**

C 2

enim

enim non in sacra tantum scriptura, verum etiam in literis gentium pessime audiunt. Christus vocat divitias Mammonam iniquitatis & spinas Luc. 16, 9. Et dives inquit difficile intrabit in regnum cælorum. Alias autem dicitur: Dives aut iniquus aut iniqui hæres. Quare Dives h. l. pro iniquo intelligitur. Cum igitur Filius Dei moreretur, & sepeliretur, duxit secum iu mortem & sepulchrum suum impios & iniquos, ut expiatâ & sepulta impietate ac iniquitate ipsorum, fruerentur unâ cum ipso beneficis resurrectionis ejus. Nam hoc planè illud videtur, quod postea Paulus dixit: Quicunque baptizati sumus in Christum Jesum, in MORTEM ejus baptisati sumus. SEPULTI igitur sumus unâ cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vite ambulemus, Rom. 6, 3. 4. 5. Conf. Col. 2, 12. 2 Cor. 5, 14. Sed quomodo potuit Christus impios & iniquos secum in mortem & sepulchrum suum assumere, ut iniqitas eorum sepeliretur? Additur bujus rei causa. Dedit (inquit) impios in sepulturam suam, & iniquos in mortem suam, propterea quod ipse iniquitatem non fecerit, & non sit inventus dolus in ore ipsius. Si enim Christus fecisset ipse iniquitatem, & designasset peccatum, necesse habuisset solus in mortem & lepulchrum suum ingredi, nec potuisset aliorum peccata expiare. Nunc autem quia ipse nullum unquam peccatum fecit, nec corde, nec verbis, nec factis, sed est perfectè iustus & sanctus, idcirco expiavit morte & sepelivit ac abolevit sepulturâ suâ aliorum peccata, ut recte & aptè

aptè dicatur, quod duxerit impios & iniquos secum in mortem & sepulchrum suum. Hucusque Brentius.

§. 21. Hos duūm viros sequuntur fere omnes, qui dictum hoc nostrum ad *Fruclum* passionis & mortis transferunt e. g. B. Joh. Gerhardus Harin. Evang. Pass. c. 19. Wellerus disput. pec. sub *Præsidio D. Hulsemanni Witteb. A. 1634.* habitâ, & eodem anno B. Glassius in Philol. S. lib. III. tr. 1. can. 2. Walth. *Miscell. Theol.* qv. 69. D. Calov. in *Bibl. illustr.* ad h. l. itemque Seb. Schmidius Comm. in h. l. sed ita, ut nonnulli horum אֶת־רְשָׁעֵי־ per *impietas* à sing. עֲשָׂר reddant, ut B. Glassius l. c. aut *Concretum Impios & divitem possum esse putent pro Abstracto, more Hebræis non inusitatō, nim. Impios pro impietibus, divitem pro divitiis*, uti B. Gerhardus, Wellerus & Waltherus, itemque ex parte Glassius ll. cc. ubi *Vir beatus Verba*, inquit, ita fluunt, sensu usuque jucundissimo: עִתָּה Et dedit seu posuit (Christus) אֶת־רְשָׁעִים improbitates (à sing. רְשָׁעָה improbitas) קְבָרוֹ (in) sepulchro suo (pro בְּקָבְרוֹ ellipsis præfixi, quod expressè in voce sequenti ponitur וְאֶת־עַשְׂיר) & divitias (Concretum pro abstracto) בְּמַתָּיו in mortibus suis h. e. in morte sua, (per enallagen Pluralis pro singulari, excellentiæ denotandæ causa) עַד propterea quod iniquitatem non fecerit, nec dolus (fuerit) in ore ejus: quæ postea prolixè explicat Glasius, cuius verba in ejus Philologia S. quæ utiq; in omnium manibus est, ipsa legi poterunt, quæque in compendio quasi exhibit B. Calovius in *Bibliis illustratis* ad h. l. verbis seqq. Nec

præter rem dixerimus, Concretum cum Emphasi ad-  
 hibitum à SS. quod non tantum improbitates nostræ re-  
 econditæ sunt in sepulchro Christi, quas ita portavit in  
 corpore suo super lignum crucis, ut intulerit quasi in  
 sepulchrum suum; ut à facie Dei æternum sint ab-  
 sconditæ, ut ita earum facta sit æternitas Hebr. 9, 17. &  
 cum Christo sepultæ sint, atque in sepulchro quasi re-  
 manserint, ipse vero sine omni peccati onere, quod in  
 se susceperebat, è sepulchro resurrexerit, & in gloriam  
 suam ingressus fit, (ut B. Glasius exponit.) Sed quod  
 etiam iniqui ipsi cum Christo sepulti videantur, & in  
 sepulchro ejus positi cum ipso, quemadmodum fructum  
 Christi declarans S. Apostolus, nos cum Christo se-  
 pultos dicit Rom. 6, 4. Col. 2, 12. quasi locum hunc  
 illustrem explicans, & quod sic ipse posuerit iniquos in  
 sepulchrum suum. Nam uti mortuò ipso uno pro pecca-  
 tis, mortui sumus omnes, quotquot peccato sumus obno-  
 xu, & ratione meriti justificati à peccatis Rom. 7, 7.  
 quia morte ejus impetrata omnibus est justificatio à  
 peccatis 2. Cor. 5, 14. ita sepulto ipso nos omnes sepulti  
 sumus cum iniquitatibus nostris, quia sepultura ejus ac-  
 quisita nobis est quies sancta in dormitoris, & cum san-  
 ctis Domini quietè fruebatur absolutus à peccato, &  
 ablatus è judicio Dei, in sepulchro non videre opus ha-  
 bebat corruptionem: ita nobis omnibus parta est quies  
 in sepulchro, & incorruptibilitas, ne sc. perpetuo in  
 corruptione manere opus habeamus, sed ut prodire cor-  
 pora nostra possint ἀφθανάτια, adeoque ita quasi simul cum  
 Christo impii consepulti sunt. Hucusque Calovius.

§. 22. Quæ

§. 22. Quæ Explicatio Homiletis & Concionatoribus tanto gratior erit, quanto copiosiorem ipsis præbet materiam in Concionibus Paschalibus : & sane nobis quoque tanto suavior & concinnior videretur reliquis præcedentibus omnibus : quanto copiosius efficacissimas præbet & meriti Christi universalis , in quo una nostra Spes reposita est, etiam ratione Articuli de Sepultura Christi, consolationes, nisi plurima essent, quæ in hac explicacione jure desideraremus. Etenim (1) Certum est Prophetam in totò hoc Capite LIII. usque ad vers. 11. Historicum quasi & Evangelistam potius, quam Homiletam agere voluisse: id quod manifestum erit Textum nostrum cum Antecedentibus & Conseqq. accurate conferenti , quod & nonnulli ex antiquis Patribus ut Hieronymus & Augustinus nobiscum agnoverunt , quando Jesaiam *Evangelistam V. T.* appellaverunt , ceu *disp. nostra de Messia unico scopo Capitis LIII. Jes. §. 1.* eorum loca produximus. (2) Quidam horum Interpretum Concreta רשיים & עשרים Impii & dives hic absque ulla necessitate in Abstracta *Impietates* & *divitias* commutarunt , nihil juvantibus Exemplis à B. Glassio Phil. S. lib. 3. tr. 1. c. 2. p. 379. adductis , quæ præter unum forte vix huc accommodari possunt: alii verò vocem רשיים ex עשרים *impietas* deducunt, cum tamen hoc sit singularis numeri tantum, nec unquam Pluralem ex se formet , ne diversa significata diversarum vocum inter se confundantur: illud verò 133. vicibus in Script. occur-

occurrat, & semper ex *vñ impius* deducatur. Et licet (3) B. Brentius, Calovius, Schmidius hoc dubium forte prævidentes *Concreta* retinuerint, eundem tamen sensum cum reliquis amplectuntur, quin (4) B. Schmidius *vñ divitem* tantum sententiæ suæ *ἀγλεύων* in vitio sumit pro eo, qui *fraude*, *dolo*, *vi* *divitias suas corradit*, idque colligit ex seqq. verbis, ubi de Christo, ut putat, in oppositione ad divites dicitur, quod *de n̄ vim non fecerit, nec dolus in ore ejus fuerit*: quæ tamen ratio non stringit, nec oppositio hic inter ea firmiter monstrari potest & (5) *negare* putat idem Schmidius h. l. non sine emphasi possum, nim. per *æquivalentiam* ex imputatione oriundam, quibus subjungit: *Quandoquidem Christo omnium impiorum iniquitates imputatae sunt, ideo dum ipse sepultus est, idem esse, ac si omnes impii sepulti fuissent; dum morti sese dedit sive exposuit, ac si divites morti sese dedissent.* Atque hoc ipso (6) sensum literalem præter omnem necessitatem deserunt, quem tamen omni studio tenere debemus; & quod pace magnorum virorum dixerim, suavitate *Fructus passionis*, mortis & sepulturæ Christi allecti piis hisce cogitationibus nimis indulgendo sensum ex textu non efferunt, sed in eundem inferunt.

§. 23. Nec est, cur quis putet, ita tolli omnem *fructum & finem* sepulturæ Christi. Id enim est, quod negamus. Etsi enim hoc dictum non præcisè hunc, quem alii ex eo eliciunt, usum exhibeat, alia tamen plura Scripturæ loca sunt, quæ suppositâ morte & sepulturâ

pulturâ Christi hic à Propheta descriptâ desideratum usum præbent, e. g. Röm. 6, 4. 2 Cor. 5, 14. 15. Col. 2, 12. &c. Quod si verò scriptura non in omnibus dictis eundem usum doceat, an propterea eidem vel Spiritui S. in ea loquenti dicam scribemus? Certe si Spiritus S. eum usum hic exprimere voluisset, nullum est dubium, quin clarioribus & magis accommodatis ad verbis hanc rem significandam usus fuisset.

§. 24. Missis itaque & remotis superioribus sententiis, accedimus ad illos, qui proprius verum & genuinum dicti nostri sensum attingunt: Inter quos (1) B. noster Wasmuthus est, qui in sua disputat. Inaugurali Controv. IV. Verba textūs nostri ita transfert: *Et adstituit Christus improbos (milites) sepulchro suo, & divitem (illum de Arimathia) ex celsis suis vel exaltationi h. e cruci suæ* (2) B. Pteifferus Dub. Vex. ad h. l. qui in nonnullis B. Wasmuthum secutus ita vertit: *וְנִתְן־פָּרָשָׁת אֶת־רַשְׁעֵי־בָּהֶן sepulchro ejus, וְאֶת־עַשְׂרֵי־פָּרָשָׁת di vitem* (i. e. Collectivè *divites* sc. iniquos, quales plerique sunt, in specie tales, qui ob divitias rapi- nis student, *prædones* seu *latrones* inquā adstituent vel dabunt socios ipsi) *in mortibus ejus.* In quā quidem in primis B. Wasm. explicatione lubens quiescerem, nisi B. Vir (1) Eum, qui *adstituit*, fecisset Messiam, cum is rectius Deus Pater intelligatur & (2) vocē *בְּמָתָתִיךְ* per *Excellsa* reddidisset, cū sub hac punctuatione nunquam pro *Excellsis* sumatur, ceu supra §. 19. con-

D

tra

tra Rivetum monstravimus. (2) Obstant etiam nonnulla quo minus in sententiam B. Pfeifferi ire possum. Etenim (a) Verbum יְמִינֵי vel per Futurum reddit, contra usum Linguæ S. dum ei præpositum est. Convers. Fut. quod proinde significationem Fut. in significationē Præteriti convertit, vel *impersonaliter Adstituent*, quod itidem vix ita in Scriptura usurpatum invenietur. (b) *Per eos*, qui adstituerint intelligit Populum Judaicum unā cum Pilato, quorum tamen nulla in præcedentibus facta fuit mentio. (c) *Divitem* collectivè sumit pro *divitib⁹*, nulla sane urgente necessitate, ut præconceptæ suæ opinioni inserviat & per *divites* illos in plur. intelligere possit *Latrones*, & (d) Particulam יָלֵע explicat per *Quamvis*, in quā tamen significatione vix ullibi in tota Scriptura occurrit.

§. 25. Postquam præcedentes sic sententias expendimus, & quid in singulis illis jure desideremus, modeste indicavimus, placet nunc nostram quoq; proponere sententiam & docto orbi de ea committere judicium. Statuimus itaque simplissimum nostri Dicti sensum hunc esse: nim. וַתִּתְּנַשְּׁׂא Et dedit vel apposuit sc. Deus Pater וְתִּתְּנַשְּׁׂא impios sc. milites קָרְבָּנו sepulchro ejus וְתִּתְּנַשְּׁׂא & τὸν *Divitem* sc. ab Arimathia, בְּמִתְּחוֹן in mortibus eis, (plur. pro sing. h. e, acerbissima & ob cruciatus plurimos præcedentes quasi multiplici morte) sc. dedit vel constituit ἀπὸ τῆς καυσίς repetendum, illum nim. *divitem ab Arimathia*, qui filii sui in extre-

mo

mo exinanitionis gradu jam constituti & ab omnibus hominibus alias derelicti curam haberet, atque eundem honorifice sepeliret: *ly propterea quod non iniquitatem fecerit, & non dolus in ore ejus fuerit, atque ita de eis innocentia honesta testaretur sepultura.*

§. 26. Atque hunc Dicti nostrisensum tanquam unicè verum agnituros esse spero omnes, qui sequentes pro hac sententiâ mecum expendent rationes, nim. (I) Textus noster h. m. explicatus suâquâ si sponte fluit, & verba textus originalis eoruinque significaciones & constructiones nativâ ratione hunc sensum fistunt, cum in præcedentibus sententiis omnibus semper una alterave difficultas apparuerit, in nonnullis etiam invito quasi textu & coactâ verborum constructione sensus ille exculpatur & textui potius inferatur, quam ex eô efferratur, quod fit contra bonas interpretandi Regulas. Et enim (o) Verbum יְנַחֵן ceu Activum notat *Dedit, posuit, apposuit, constituit*, utpote quæ significatio hujus verbi famosior est, & statim Gen. 1,17. c. 9, 13. plurimisque aliis in locis occurrit. Atqui famosior vocis significatio ubique obtainere debet, nisi summa nos ab ea depellat necessitas, (ceu habet Regula Hermeneutica) quæ verò hic loci nulla omnino appetit. *Quis verò hic impios illos dedisse* dicatur, magna ap. interpp. lis est. Quidam hoc יְנַחֵן absolute positum & explicandum esse putant per *Et datum est*: sed cñm יְנַחֵן sit Futurum Activum, ut cuivis patet, Spiritus S. si id dicere voluisse.

suisset, multò facilius per passivam <sup>רָאשׁ</sup> id exprime-  
 re potuisset. Alii Pilatum vel Populum Judaicum  
 hic subintelligunt. Sed nec Pilati nec populi Ju-  
 daici in præcedd. fit mentio. Nos itaque statui-  
 mus, ipsum Deum hic subintelligendum esse, qui hic  
 dicitur *dedit* vel *apposuisse*, id quod patet ex antece-  
 dente vs. 6. ubi *is* (Dominus) *dicitur incurrere fecisse*  
*in eum* (Messiam) *iniquitates omnium nostrum* & ex  
 vers. seqv. 10. ubi Dominus *contundere eum voluisse*  
 dicitur &c. Certe uti Deus Pater gratiose nobis  
 dedit filium in carnem Jes. 9, 5. Joh. 3, 16. ita hic  
 judiciariè Filium suum in mortem & sepulchrum  
 dedit, & sic quoque hos impios milites æterno suo  
 consilio apposuit ejus sepulchro, & *divitem* hunc in  
 acerbissima Filii sui morte constituit. (β) <sup>רָאשׁ</sup> cum  
 verbo Activo constructum (uti h. l. fit) semper no-  
 ta Accusativi est, nullò in contrarium datō Exem-  
 plo: Et si quæ nobis objiciuntur Exempla, ubi <sup>רָאשׁ</sup>  
 significationem præpositionis *cum* habet, e. g. Gen.  
 5, 22, Ex. 1. 1. Jud. 1, 16. 2. Sam. 7, 12. &c. in omni-  
 bus tamen illis & similibus locis non verbum Acti-  
 vum, sed Neutrūm vel Passivūm habetur, cum quo  
 particulam <sup>רָאשׁ</sup> Præpositionem *Cum* notare posse,  
 nemo est, qui negat; at ut cū Verbo Activo immediate  
 constructum præpositionem *cum* notet, nullo idoneo  
 exemplo probari potest. (γ) <sup>רָאשׁ</sup> itaq; reddendum  
 per Accusativum *Impios*, per quos h. l. milites  
 τὸ πολὺ tales intelligimus, juxta tritum illud: *Nulla*  
*fides pietasque viris, qui castra sequuntur*: Et licet  
 etiam

sæpè etiam pii dentur milites, exemplo Centurionis ap. Matth. c. 8 & Act. 10, 7. seqq. nullum tamen dubium est, quin hi milites fuerint impii, ut pote qui procul dubio Salvatorem nostrum in sepulchro quiescentem adhuc scommatibus impiè insectari & tanquam leoni mortuo insultare non cesfarunt. Quare (δ) קְבָרוּ quamvis nullum signum Casus habeat, non tamen aliis Casus esse potest, quam vel Dativi, uti similis phrasis occurrit Ex. 40, 33. וַיְנִתֵּן אֹתֶן מִסְךָ שַׁעַר הַחֲצֵר apposuit τὸ tegumentum portæ vel ad portam atrii: Conf. Ez. 43, 8. aliaque plural loca; vel Ablativi, subintellectâ hic ex sequente membro particulâ ε. In sententiis enim copulativis ap. Hebreos, posterior pars solet interpretari priorem, id quod in Prophetis est frequentissimum, ait h. l. felix alias Scripturæ interpres Brentius. Additi autem fuerunt impii isti eius sepulchro, tum ut illud custodirent, ne corpus eius per maleferiatos homines violaretur, idque ex intentione Dei, licet ex intentione sacerdotum & scribarum, ne ab amicis & discipulis tolleretur. Matth. 27, 64. tum ut isti etiam inviti testes resurrectionis Christi fierent, atque sacerdotes in conscientia convincerentur, Christum omnino ex mortuis resurrexisse, quicquid etiam pessiminebulones pecuniâ corrupti mentirentur. Matth. 28, 12. 13, (ε) וְאַתָּה עִשֵּׂר τὸν divitem in singulari & Concreto, ut & cum particulâ ην, quō utique certum aliquod & determinatum subjectum indicatur,

D. 3, 10b10q10v & qui-

nisp

& quidem h. l. *Josephus de Arimathia*, ceu even-  
tus id apertè comprobavit Matth. 27, 57.  
Marc. 15, 41. Luc. 23, 50. Joh. 19, 38. בְּמִתְחִיר  
*in mortibus ejus*, in plur. quasi multiplici morte ob-  
summos cruciatus & præcedentes dolores prope in-  
finitos, uti supra diximus. Et licet illa vox hic tan-  
tum, & adhuc non nisi semel de Rege Tyri Ez. 28, 10.  
in plurali occurrat, cum al. in singulari vel centies  
**inveniatur**; nulla tamen etiam talis ac tanta mors  
a condito mundo observata est, cuius & ma-  
gnitudo & valor tantus fuit, ut pro omnibus omnino  
hominibus, qui fuerunt, sunt & futuri sunt, sufficiens  
fuerit. *ונַי propterea quod iniquitatem non fecerit, nec dolus faerit in ore ejus.* Quo ipso significationē *Quam-*  
*vis* utpote vix unquam in scriptura occurrentem  
removemus (in quo nonnulli interpp. h. l. vocem  
accipiunt) uti iam supra §. 24. indicavimus.

§. 27. II. Ipsa Antecedentia & Consequentia sen-  
sum nostrum postulant. Etenim (1) in Antecedenti-  
bus Propheta noster exhibuit nobis Prosopographiam  
Messiæ in statu exinanitionis constituti, & quidē tum  
*ratione ingressus in hanc vitam*, quando Cap. 53, 2. mon-  
strat, quod instar teneri rami vel surculi adscenderit, &  
*sicut radix de terra sicca* h.e. ex antiqua quidem & regia  
Davidis familia, quæ olim instar arboris pulcher-  
rimæ floruit, nunc verò ita detruncata sit, ut ex  
terra sicca nim. Maria ad infimam generis sortem  
redacta prodierit: tum *ratione progressus in vita*,  
ubi nulla forma ei, nullus decor & honor, nullus  
*aspectus vel splendor ei*, quō quis desideraret eum v. 2.  
quin

qui potius Vir despectus & contemnus, in primis magnatibus, ut facies & oculos ab eo averterint, vir dolorum & non nisi ægritudine notus v. 4. seqq. tum *ratiōne egressus* ex hac vita, ubi pressus & afflictus fuit, & sicut agnus ad mactationem ductus, qui tandem è terra viventium excisus v. 8. & posteà *sepultus*, & quidem ita, ut Deus mirandâ suâ providentiâ apposuerit *impios milites* sepulchro ejus, qui ipsum custodirent & vel inscii ab injuria malorum hominum defenderent &c. &c. & τὸν διβετὸν καὶ ἔξοχὸν illum ab Arimathia in morte ejus acerbissima &c. ut ejus curam haberet, ut vidimus §. præcedente. Consequentia verò sunt *Fructus* hujus passionis, mortis & sepulturæ, quos Propheta in subseqq. v. 11, 12, 13. prolixè enarrat.

§. 28. (III.) In toto hoc Capite Propheta Historicum quasi & Evangelistam agit, qui stilo simplici rem ipsam, uti cū salvatore postea gesta est, nobis describit & quasi non tam prædictum, quam propheticè promulgatum nobis reliquit.

§. 29. (IV.) Ipse Eventus, optimus vaticiniorum interpres, huic nostro vaticinio post ipsos octingentos annos exactè respondens nostram interpretationem comprobat firmissimè: quod vel unicum Argumentum hic sufficere posset.

§. 30. Unde tandem concludimus, Messiam non solum debuisse pati & mori, sed & sepeliri ac sepultum esse Ps. 16, 9. coll. cum Act. 2, 31. & c. 13, 35. Ps. 22. 16. & 1. Cor. 15. 4. & quidem non alio quam eo modo, uti præced. §. §. monstravimus, partim

partim ut agnoscamus , nullum alium , nisi Jesum Nazarenū esse verum illum & promissum Messiam, utpote in quo omnia, quæ non solum de ejus nativitate, passione & morte , sed & quæ de ejus *sepultura* sancti Dei homines in scriptura prædixerunt, exactè fuerunt impleta: partim ne putemus , fortuitō quodam casu hæc ita evenisse, sed ut sciamus, Jesum hunc, uti definitō consilio ac præscientiā Dei in mortem traditus est Act. 2, 23. &c. 4, 28 , ita & providā Dei curā ac mirandā ejus providentiā hoc tam honorificō modo fuisse sepultum. Quod erat demonstrandum. Et tantum hac vice.

*DOMINO NOSTRO JESU CHRISTO, qui mortuus est  
pro peccatis nostris, sec. Scripturas, & qui sepultus est,  
& qui resuscitatus est tertio die sec. scripturas,*  
Sit Gloria & robur in secula  
seculorum, Amen.

